

**Dissertatio inauguralis dulcium naturam et vires expendens ... / [Johann Friedrich Behrens].**

**Contributors**

Behrens, Johann Friedrich.  
Murray, Johann Andreas, 1740-1791.  
Universität Göttingen.

**Publication/Creation**

Gottingae : Jo. Christ. Dieterich, [1779]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bsq69jzc>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DULCIUM NATURA  
ET VIRES



BEHRENS

1779

12988 / P

ARUTAN HINDU

ET ALIAS



ARUTAN HINDU

ET ALIAS





Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30368686>





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS  
**DVL<sup>C</sup>I<sup>M</sup> NATVRAM**  
ET VIRES  
EXPENDENS

---

ANNVENTE  
EXPERIENTISSIMO ORDINE MEDICO  
IN  
ACADEMIA GOTTINGENSI  
PRAESIDE  
**IO. ANDREA MVRRAY D.**

MEDICINAE PROFESSORE PVBL. ORD. HORTI R. BOTAN,  
PRAEFECTO, ACADEMIARVM ET SOCIETATVM SCIENT.  
GOTTING. STOCKHOLM. VPSAL. GOTHENB., Oeconomicarvm  
BERNENS. ET CELLENS. ATQVE MEDICAE HAFN.  
MEMBRO

PRO  
**MEDICINAE DOCTORIS**  
HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
CONSEQUENDIS

D. XVI. DECEMBRIS A. MDCCCLXXIX.

PUBLICAE CENSURAE  
SUBIICIENDA  
A  
**IOANNE FRIDERICO BEHRENS**  
NORDHEIMENS.

---

G O T T I N G A E  
Litteris IO. CHRIST. DIETERICH,

DALCIVM NIATVTA  
ET VIRÆS  
EXPERIMENTIS

ИЗДАНИЕ  
АКАДЕМИИ ГОТТАГЕМЕР  
ПРАВИТЕЛЬСТВОВАЯ

Д. АНДРЕА МУРЯД

МАТОВАЯ И ТРОЦКАЯ ПРОФЕССОРЫ ПРОФЕССОРЫ  
ЛЮБИТИЩИЕ АКАДЕМИЮ ТАКИЕ ПРОФЕССОРЫ  
АКАДЕМИИ ГОТТАГЕМЕР  
ИЗДАНИЕ

MEDICINAE DOCTORIS  
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
CONFERENDIS



ИЗДАНИЕ АКАДЕМИИ ГОТТАГЕМЕР

ДАЛЬШАЯ  
ПРИЧИНА  
ГЛАВА ДІАЛОГІЧНА

V I R O  
CONSULTISSIMO ET AMPLISSIMO  
**IOANNI ACHTERKIRCHEN**

I V R I V M D O C T O R I  
REGIS MAGNAE BRITANNIAE ET DVCIS BRVNSVICO-  
LVNEBVRGENSIS COMMISSARIO PRIMARIO NEC NON  
C O N S U L I V R B I S N O R D H E I M E N S I S  
M E R I T I S S I M O

IN DOCUMENTVM SVMMAE, QVA EVM PROSEQVITVR, OBSER-  
VANTIAE, ET SIGNIFICATIONEM GRATISSIMI ANIMI PRO TOT  
BENEVOLENTIAE IN SE COLLATIS  
TESTIMONIIS

HASCE STVDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS  
SACRATAS CVPIT

T A N T I N O M I N I S

CVLTOR OBSEQUENTISSIMVS  
**IOANNES FRIDERICVS BEHRENS.**

VIRO  
CONSALITISSIMO ET AMPLISSIMO  
JOANNI VON THERKIRCHEN

IN DOCUMENTA SVARUM QVI EAM INGENUITATIÆ RECER-  
VATIAE, ET SIGNIFICATIONE GRATISSIMI VNI PRO TOT  
UNIVERSITATIBUS IN SE COLTATIS  
TESTIMONIIS

HVSCE STUDIOVM ACADEMICORVM PRIMI  
VERGATVS, CAVIT

TATI NOMINI

JOANNIS ERICRICAE REIPUBLICÆ  
CARTON OBSERVANTIAE

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA

DE

DVL<sup>C</sup>IVM NATVRA ET VIRIBVS.

SECTIO PRIMA

*Dulcium indoles et varietas.*

§. I.

**D**ulcedinis *sensus* blande gustus organon afficit et plerisque gratissimus est; vnde et loquendi usus hanc vocem in eiusmodi adeo res transtulit, quae vel alia organa sensoria recreant, vel solam mentem impensis oblectant. Ad fidem b. HALLERI a) nonnisi lingua illam sentit, cel. MVRRAY autem, cuius fidis institutionibus plurimum in re medica debo, mihi asseueravit, in se et palato sensum eius imprimi. Sunt quaedam aetates, quae hoc sapore magis delectantur, quam aliae, nimirum infantilis, ita ut infantes ad medicamenta capienda vel alia sibi ingrata agenda sacchari praemio promisso allicantur; et senilis quoque plerumque. Sexum sequiorem pariter dulcia magis appetere in cibis, potulentis, cupediis, quam alterum, nouimus. Reliquis hominibus vix nisi copia displicant, vel sub nimia consuetudine vel aliorum linguam fortius afficientium familiaritate, prouti fumo

a) *Elem. Physiol.* T. 5. p. 99.

fumo tabaci fugendo indulgentes et potatores dulcibus plerumque aduersantur.

### §. II.

Ad *simplices* sapores quidem pertinet dulcis, vt amarus, acidus, nec nisi vnicum sensum imprimit saccharum, mel. Non nunquam tamen hic sapor *copulatur* cum amaro, vt in dulcamara, po-  
lypodio, glycyrrhiza; vel austero, vt in alumine, succo catechu, foliis vuiae vrsi, certe in hisce duobus proxime dictis exemplis austерum saporem dulcis sub finem gustationis insequitur; vel acido, in fructibus horaeis bene multis vinisque; vel viscofo, in caricis, passulis; vel oleoso, in amygdalis semenibusque cucurbitacearum; vel aquoso, in oleribus et radicibus variis; vel acri, vt in cinamomi cortice.

### §. III.

Dulcium simpliciter ea ratio est, vt gustata mox *sensum* suum organo impertiant, nec modo post aliquam moram, vt acria varia licet fortiora. Non vero diu in ore remanet, sed affluente saliu paullo post dissipatur.

Distinguitur dulcedo, sicut amarities, vix nisi sensu *specifico*, nec, vt alia varia sapida, tactu simul vel visu, vel reagentibus, vt vocantur, discernitur. Acidis enim e. c. ebullire cum alcali, colorem coeruleum vegetabilium in rubrum vertere rel. datum est; austoris cum vitriolo martis atramentum efficere, viscosis in mucilaginem resolui, et sic porro.

Si WILLISIO b) credere fas esset, dulcium discriminem, prae-terquam sapore, *crystallorum* ex iisdem eruendarum figura facile esset

CO-

b) *De anima brutorum*, cap. 12, in *Op. omn. Tom. 2.* p. 99.

cognitu, hasce enim per particulas in molles aculeos ita figuratas describit, vt leni affrictu sensorium titillent, non aliter, ac plurimarum striae hypochondriis ac pedum volis admotae. Sed perperam diuersitatem saporum, qui mixtis corporibus insunt, quaeri in salium discrimine, dubio vacat, postquam obseruationibus constiterit, sapida existere, quae, sapore licet diuersissima, idem tamen sal erogent, item alia, quae similem quidem sensationem in lingua vel vicinis partibus producant, sed figura salis contenti valde dissimilia. Nihil igitur supereft, quam vt sapor a partium miscela ipsa varia, proportione, nexu, pondere, magnitudine, motuum gradibus, attractione rei. dependeat. Et quod ad particulas molliter aculeatas dulcibus adscriptas nominatim attinet, errorem manifeste demonstrauit cl. LVCHTMANS<sup>c</sup>), vt qui sub microscopio in facchari solutione, postquam refixerit, crystallos cubicas, item pyramidales variae baseos vedit, in manna autem crystallos oblongas, tenuissimas, radiatim sparsas, quae ipsae cum crystallis facchari Saturni maxime congruerunt, in cassia et melle autem nihil nisi particulas sphæroideas obseruavit. Patet igitur vel hisce exemplis figuræ crystallorum diuersitas, licet saporis ratio vna eademque sit.

#### §. IV.

Dulcedini quidem in communi vita acor opponitur: non tamen haec vere contraria sunt, nec ista ab hoc separari potest. Ipsa natura vnum ex altero producit: fructuum enim immaturorum, mali, pyri, vitis, ribis rel. acidus vel acerbus sapor solis calore in mitem dulcem mutatur. Dulcia praeterea, iusta humiditate suoque calore et aëris accessu constituta, sponte fermentacionem acidam subeunt, et acetum fortissimum erogant, imo addita aliis fermentationi opportunis instar fermenti operantur, et haecce

A 2

in

<sup>c</sup>) in *Diff. egregia de saporibus et gustu p. 37. sqq.*

in consensum trahunt. Experiuntur mulieres hancce in acorem mutationem quotidie in fructibus saccharo conditis. Mitissimus ex arundine saccharifera expressus succus vix ultra diem acoris expers persistit. Dulcissima vina et blandissimam cereuisiam triticeam aere calidiori aescere nouimus. Imo constat, easdem substantias dulces, ex fructuum, succorum et frumentorum tribu, quae spiritus ardentes nobis largiuntur, vel continuata vel renouata fermentatione acetum nobis suppeditare. Nolo hic iam multis commemorare acorem istum, quem dulcibus nimium indulgentes sensu ingrato ventriculi et eructatione acida, dentes obtundente, experiuntur. Tanto vero minus dubitandum est de acidi in dulcibus praesentia, quum et absque fermentatione, vel vi ignis vel additamenti cuiusdam, quod reliquas partes cum illo unitas consumit, a compedibus suis liberari queat.

## §. V.

Saccharum nimirum per se in vase retorto vitro leni initio ignie, dein paullatim aucto, *destillatum*, primo phlegma pallide flauescens imbecillis odoris et saporis acidulo balsamici dimittit, cui succedit spiritus flauus, dein flauo rubicundus phlogistico acidulus, mobilissimus, qui olfactus instar armoraciae nares pungit et illacrymationem excitat, quem excipit pauxillum olei bruno nigricantis, remanente in vase retorto nonnisi massa terrea nigra inerte d). Sed hac encheiresi acidum, de quo hic sermo est, integrum et a reliquorum conformatioне disiunctum obtineri nequit.

## §. VI.

d) NEUMANN'S *Chymie Ed. KESSEL Vol. 2. P. 4. p. 143. sq. CARTHÉVS. Mat. med. T. 1. p. 413. Conf. SCHRICKEL Diff. de salibus saccharinis a §. 19-25.*

## §. VI.

*Acidum igitur saccharo inesse*, cui et substituere sine errore possumus alia dulcia, manifestum est. Aceto quoque illud esse potentius et cuti instillatum flauam maculam relinquere, quae aqua elui non possit, sed desquamatione modo cuticulae arrosae dispareat, iam dudum comperimus e). Verum, quale ceteroquin sit et quibusnam notis ab aliis acidis differat, recentius modo cognouimus, experimentis duobus diuersis locis vno eodemque fere tempore in medium prolatis.

*Primo loco paucis commemoranda ista sunt*, ab Equite BERGMAN f), Professore Chemiae Vpsaliensi sagacissimo, instituta, qui ipse acidum sacchari purum ab omni alia miscela elicuit, quatenus scilicet id arte fieri possit, et numerosis et operosis experimentis peculiarem eius genium et nisus varios in alia corpora excussit. Cel. hicce vir ope spiritus nitri fortis, in quo saccharum repetitis vicibus coxit, noua per vices spiritus nitrofi portione adfusa, acidum sacchari forma crystallorum prismaticarum quadrilaterarum eruit, quae ipsae iterata solutione et crystallisatione depurari se sinunt. Exigua autem modo quantitate eliciuntur, ita vt ad comparandam vnam partem salis huius, sacchari tribus et acidi nitri fortis triginta partibus opus fit. Quoniam acidum nitri phlogisti auidissimum est, illius ope oleosum commodissime destruitur, vaporibus inter haec rubris exsurgentibus, et acidum sacchari solum relinquitur, sub refrigeratione crystallorum formam induens. Hisce crystallis sapor acerrimus inest, et tam acidus, vt grana earum viginti integrum aquae congium notabili acore impellant, grato tamen linguae, modo diluatur. Soluuntur in aquae destillatae

A 3

fer-

e) CARTH. de genericis quibusdam plant. princ. p. 64.

f) V. Diff. de acido sacchari d. 13. Iunii a. 1776. recus. in EIVSD. Opusc. phys. et chem. Vol. 1, p. 251. sqq. Cfr. et Att. Vpjal. nov. Vol. 2. p. 210.

feruidae pondere aequali. Purum hasce esse acidum, criteria acidis communia indicant, imo aetheris speciem cum spiritu vini constituunt, qui aether tamen nonnisi calefactus accendi potest, nec alba sed coerulea flamma ardet. Neque destillatione, nec alia tentata via, hucusque ill. vir hoc acidum ab oleofis admixtis partibus diuellere potuit. Crystallorum tamen forma, qua prodit, inflammabilis tantillum residuum in illo esse innuit, siquidem alia acida, eo priuata, fluida forma comparent; sed exiguum hoc valde esse, acidissima, quam prodit, natura manifestat. Calcem prae omnibus aliis corporibus appetit, vnde nihil efficacius est ad detegendam calcem aquis quomodocunque solutam; nam soluti eius minima gutta mox in calcem praesentem fertur, et haec puluerem album indissolubilem cum eo efficiens fundum petit g). Non attinet hic vterius prosequi, quid cum aliis acidis commune habeat, quid peculiare. Sufficit modo hic indicasse, cel. BERGMANVM eadem arte ex gummi arabico, spiritu vini rectificatisimo, melle et aliis corporibus, saccharum vehentibus, idem euocasse.

*Alterum genus experimentorum nuperiorum, ad quod respi-  
cio, istud est, quod cl<sup>mō</sup> SCHRICKEL<sup>h)</sup> debemus. Hic ipse, sicca  
destillatione vsus, ex sacchari refinati vnciis sedecim spiritus phleg-  
mate oleoque perinixti vncias octo cum scrupulis quatuor obtinuit.  
Ab hisce vnciam circiter olei separavit et phlegmatis drachmas  
circiter sex. Spiritum acidum bis rectificationi cum argilla sub-  
misit, sub quo negotio olei drachmae duae cum aliquot granis ad-  
huc separatae, vnde spiritus aquae instar impidus euasit et aci-*

g) Conf. BERGMANNI *Diff. de analysi aquarum* in *Opusc. chem. et phys.*  
T. I. p. 98.

h) *Diff. de salibus saccharinis vegetabilibus generatim et sacchari vulgaris  
albi analysi acidoque huius spiritu speciatim.* Gieffae m. Aug. a. 1776.

dior longe et purior. Ipse tamen agnoscit cl. vir, aliquam olei partem spiritui pertinaciter adhuc inhaerere. Ulterius vero adhuc spiritum concentravit frigus, ut quo, reliqua tenuiori parte in glaciem versa, in centro acidum perstitit fluidum.

**B**ERGMANI igitur acidum facchari crystallorum forma instructum, **S**CHRICKELII fluidum fuit. Vtriusque acidum qui inter se comparat, in multis eadem similia inueniet, sed in non paucis tamen momentis etiam diuersa. Negat e. c. **S**CHRICKELIUS violarum syrupum inde rubrum induere colorem, crystallos produci ex eiusdem cum alcali volatilis combinatione, ipsum aurum eo soluere illi successit, ut alia taceam, quibus a cel. **B**ERGMANO differat.

## §. VII.

Praeter acidum *oleosae partes* alterum primarium facchari principium constituunt. Qua proportione insint, ex destillatione mox recensita elucet. Lectu dignissima sunt, quae de huius natura nobis reliquit omnium auctorum plenissime cl. **S**CHRICKELI). Sed eius praesentia et aliis notis sese manifestat. Nam faccharum carboni candenti immisum, non vero candelae admotum, flamma coerulea ardet. Igne funditur et spumescit sub strepitu, multis emissis halitibus empyreumaticis et relicto carbone. Porro viuidam detonationem cum nitro super igne liquefacto subit. Addi potest pro oleosarum partium in faccharo praesentia demonstranda, quod facile cum oleosis liquidis sese commisceat.

Hisce oleosis partibus vna cum mucilaginosis, quae combustae terram insipidam relinquunt, acidum ita obuoluitur, ut sentiri  
gu-

i) *Diff. cit. §. 24.*

gustatu nequeat, sed in hac miscela dulcedinis sensum linguae imprimat, prout acidissimum vitrioli oleum spiritu vini iunctum dulcescit,

### §. VIII.

Respectu ad *originem sacchari*, scilicet ex succis vegetabilibus, habito, sal essentialie merito illud habetur. In siccum formam condensatum, nominatim illud ex arundine faccharifera, soluitur facile aqua, tarde vero, nec nisi caloris ope, spiritu vini rectificatissimo, et frigefactum in crystallos iterum concrescit. Oleis substantum, praecipue aethereis, haec aqua miscibilia reddit. Et haec quidem substantia latissime per regnum vegetable diffunditur.

### §. IX.

Sed nec ab *animalium complexu* excluditur.

*Mel* huius census est, licet rectius et hoc productum vegetabile pronuncies, siquidem illud, vt plerumque, vel enascitur ex succo aquoso dulci in nectariis et fundo florum stagnante, ab apibus hausto et partim pro earum nutritione consumto, partim earum ventriculo vterius spissato, deinde in cellulas fauorum, vbi porro densatur, per os deposito; vel, licet rarius, ab apibus colligitur ex dulcedine, siue sic dicto rore melleo, qui feruidiori aestate ex foliis ramulis aliisque partibus quarundam stirpium exfudat k). Variae mellis species manifeste genium plantarum, ex quibus collectum, seruant, vnde aliud mel aromaticum, aliud amarum, imo nocium, prout mel ex Rhododendo pontico LINN. collectum, cephalalgiam, vertiginem etc. veterum iam obseruatione,

k) V. instar omnium de rario ri hac origine testis fide dignus ill. GLEITSCH Betracht. üb. den Bienenstand p. 52.

tione, sed recentius confirmata, *l)* creat; unde et color et odor mellis multipliciter variat. Partes eaedem ex melle ac saccharo elici sese patiuntur *m).* Imo verum saccharum, forma crystallorum imbutum, ex melle parari potest, ea proportione, et ex libris duabus mellis Narbonensis circiter vncia dimidia facchari crystallisati obtineatur *n).* Optandum maxime, vt chemici hanc artem ulteriori persequerentur, quo parceretur impensis pro faccharo exoticō et apiculturae noua incitamenta fierent. Digna igitur responsione quaestio de hoc argumento fuit, ab academia scientiarum Gedanensi ante aliquot annos proposita.

*Lac* pariter saccharina materie scatet, ita vt haud difficulter saccharum solidum inde confletur, cuius origo non obscura est, mente modo pabulum animalium si concipias. Mutat quidem lactis naturam nutrimentorum diuersitas, nec negari potest etiam ex iis brutis, quae solis vegetabilibus pascuntur, lac emulgeri, in quo praeter vegetabilem naturam animalis vestigia quaedam sese produnt. Caseosa enim pars, direpta a reliquis eius partibus, alcali volatile manifeste recondit, putredinem facile intrat, foetet et deliquescit. Nec possunt non, quum in primis viis tum in secundis, tam ante secretionem lactis, quam sub eadem, partes vere animalis naturae reliquis adsociari. Si quae vero huius consociationis documenta adhuc in cremore lactis occurant: serum tamen manifeste herbarum ingestarum naturam retinet, et euaporatum ad nonam siue decimam sui voluminis partem et loco temperato sepositum, in crystallos coit, quae repetita solutione et crystallisatione omni flauedine exuuntur. Est igitur lactis

*l) V. MODEL's kleine Schriften, Vorrede p. XI.*

*m) LEMERY in Mem. de l'ac. R. des sc. de Paris 1706. p. 276.*

*n) BEAUME' Elemens de Pharmacie T. 2. p. 165. sqq*

ftis saccharum sal essentiale, saccharo vero vegetabili aemulum, a quo autem istud, copia maiori inflammabilis partis, differt; vnde a candelae flamma facile accenditur, nec ita dulce est. Analyse chemica insuper eaedem partes eruuntur, quae salibus plantarum essentialibus insunt. Addo, spiritum vini ex lacte, non solum equino apud Calmuccos et Tartaros <sup>o)</sup>, praevia fermentatione destillari, sed etiam ex lacte bubulo <sup>p)</sup>, posse; vnde nouum argumentum enascitur cognitionis inter succos vegetabiles et lac obuenientis.

Paucissima alia vestigia de praesentia sacchari in corpore animali occurruunt. Non dubito hoc loco commemorare *sputa* ista *dulcia*, quae instante pulmonum suppuratione ab aegris sentiuntur. Hinc istud **HIPPOCRATIS** <sup>q)</sup> "qui pus intro collecturi sunt, his primum quidem falsuginosum sputum expuitur deinde dulcius."

Huius quoque loci est dulcedo lotii in *diabete*, quae male a quibusdam negatur. Memorabilis est historia <sup>r)</sup> de homine, qui intra nychthemerum lotii pintas 28 emisit. Omissis reliquis symptomatibus apud eum obuiis, hic modo noto, sub initium morbi sensum perpetuum famis eum moleste habuisse, dein saporem ingratum acidum, lotium eius dulce fuisse et saepe turbidum instar aquae mellitae. Lotium stagnando in vase fermentationem subiit, et odorem vinosum sparsit, dein in acorem transiit, tandem computruit. Serum sanguinis vena emissi opacum fuit, et retulit serum

<sup>o)</sup> **GME LINI** Reisen durch Sibirien P. 1. p. 273. **PALLAS** Reisen d. versch. Provinzen d. Russ. Reichs T. 1. p. 314. <sup>qqq.</sup> T. 3. p. 404.

<sup>p)</sup> **O SERETSKOWSKY** Diff. de spiritu ardente ex latte bubulo. Argent. 1778.

<sup>q)</sup> Praenot. coac. p. 183. FOES.

<sup>r)</sup> **DOBSON** in med. Observ. and Inquir. Vol. 5. p. 298. Coarctatum legis hanc enarrationem in ill. **MVRRAY** med. pract. Bibl. Vol. 2. p. 355.

serum casei commune, item dulce, etsi non adeo dulce, vt lotium. Residuum lotii super carbonibus exhalantis grumosum fuit, haud assimile saccharo bruno eiusdemque saporis.

In calculis renū et vesicae idem acidum facchari ill. BERGMANS) detexit, putatque hoc cum glutinoso iunctum renū et vesicae calculos constituere, cuius rei explanationem prolixiorem, quam promisit, aude exspectamus.

Quoniam vero materies saccharina apud animalia mammis instructa sponte nunquam extra lac praesentiam suam declarat: patet, si alibi obuiam venit, eam nonnisi morbosa de causa congeri, quae ipsa in defectu debitae assimilationis humorum quaerenda videatur, siue debilitas quaedam primas vias vel secundas corripiat, siue vitium quoddam reliquis corporis humoribus insit, quo ipso confectionem cum saccharina materie repudiant.

### §. X.

Sunt et inter *mineralia* dulcis saporis exempla. *Saturninis acidā* mitiora dulcescere et sal metallicum adeo inde redundare, facchari saturni nomine, notum est. Sed an verum hic acidum facchari subsit, experimentis saltim nondum euictum. Spectat tamen huc eximum versatissimi inter Suecos chemici, cl. SCHEELE, inuentum, de quo certiore me reddere spectatissimo PRAESIDI placuit. Nempe dum ille lithargyrium cum oleo oliuarum coqueret, obseruauit in superficie natare liquidum quoddam ab oleo diuersum, sapore dulce, quod, charta lusoria haustum et inspissatum in syrump, dein nitri acido secundum descriptum modum tractatum, verum facchari acidum erogauit. Sperandum

B 2

fore

fore, ut auctor ipse amplioribus rem ipsam mox describat, et collaria maximi momenti subiungat.

*Alumen* sensum ex adstringente et dulci mixtum linguae imprimit, imo dulcedinem eiusdem repetita solutione et phlegmatis separatione seorsim haberi posse lego t).

*Vitriolum martis* gustans post stipticum saporem haud aegre subdulcem percipiet.

Ad miscendo acidis mineralibus spiritum vini liquida dulcia emergunt. §. XI.

Vberimum vero facchari prouentum et consuetissimum vegetabilium amplae cohorti debemus. Et in hisce vel sapore fese prodit, vel sponte exsudat per varias partes, vel expressione succi et coctione, vti et ope spiritus vini rectificatissimi, eruitur. Consistentia quidem, sub qua ex hisce elicita comparet, variat, pro maiori vel minori copia aquosarum, oleosarum vel mucilaginosarum partium admista. Omnium vegetabilium hac in re eminent gramen istud nobile, quod primo loco proponam, cui dein subiungam reliqua.

I. SACCHARVM OFFICINARVM; floribus paniculatis, foliis planis LINN. Syst. veget. Ed. ill. MVR. Arundo saccharifera c. b. Pin. p. 18. Conf. SLOANE nat. Hist. of Jam. Tom. I. p. 103. Tab. 66. quae vero paniculam modo exhibet. Integrum autem stirpem delineat RUMPH. Herb. amb. Tom. 5. Tab. 74. fig. 1. et describit eam p. 186.— HVGHES

t) BORRICHIVS de natura dulcedinis p. 69. citante b, HAELEK in Elem. Physiol. Vol. 5. p. 119.

*nat. Hist. of Barbados* p. 244. *Tab. 23. fig. 1.* Saccharum geniculatum et succulentum panicula spatiofa BROWNE *nat. Hist. of Jam.* p. 129. Crescit perenne hocce gramen sponte in Africa et vtraque India locis plerumque inundatis. Sed naturae ars subuenit plantationibus, praecipue inter tropicos Americae lucrosis, vbi in noua Hispania, Brasilia, Guadeloupe, Martinique, St. Domingo, et omnibus fere coloniis Hispanicis Gallicis Anglicis, colitur.

Quale *cultus* genus, et quaenam *sacchari conficiendi prima initia* sint, multi tradiderunt intelligentes viri, in Indiis commorati, quae tam ex fontibus in compendium, ultra cuius limites euagari hic non datur, redigere plus facessit negotii, quam absque tentamine aliquis existimet. Optimis hac de re auctioribus accensendi PISO, u) LABAT x), BROWNE y), HUGHES z) qui studiosius in stirpis morbum, a vermiculis prouenientem (yellow Blast), inquisiuit, et AUBLET a). Pro cultura eius eligitur plerumque solum aquosum et fertile et calida satis statio, sed interdum quoque inficcis imo arena laete crescit (AUBLET). Propagatio fit ope gemmae culmorum in partes dissectorum et terrae immisorum. Requiruntur plerumque quatuordecim ad sedecim menses, antequam culmi ad illud robur siue maturitatem peruenerint, ut saccharum erogent, nisi terrae genius maiorem moram iniungat. Sed pluries ex una eademque radice culmi auferri possunt.

Culmis ope falcis prope radicem praecisis et panicula cuiusvis una cum foliis ablata, plures in fasces vinciuntur, qui ipsi in uno aliamq[ue] l[et]eram inveniuntur. B 3

u) *Indice utriusque res nat. et med.* p. 108. sqq.

x) *Nouv. Voyage aux Isles de l'Amerique Tome I.* p. 224. sqq.

y) loc. cit.

z) l. c.

a) *Hist. des Plantes de la Guyane Francoise T. 2. App. p. 57.*

molendinum transferuntur, ut circumactis per equos, ventum, vel vi irruentis aquae, tribus cylindris perpendicularibus ferreis conquas- sentur, et succum effundant, qui cisterna colligitur, vel, quod fre-quentius, mox per canalem in ahenum deriuatur. Coquitur hic ad-dita calce vel lixiuio saponiorum vel cineribus puris et alumine. Deriuatur postea in alia ahena vnum post alterum et nouo addita- mento dictorum et despumatione depuratur et coquitur donec syrpus inter digitos receptus illos quasi conglutinet, tumque in modulos pyramidales apice terram spectante et perforato immitti-tur, quo siccetur vel crystallisetur. Foramen hoc primo claudi-tur, dein aperitur, ut syrpus effluere possit. Hac ratione *Saccha-rum, crudum, thomaeum, s. rubrum* Pharm. Lond. et Edinb., vulgo Moscouade dictum, paratur, quod adhuc multis cruditatibus sca-tet, et brunum ideo colorem habet, consistentiae fere arenae. Sub hac forma magnis doliis in Europam transfertur, ut ibidem vario gradu depuretur et panibus pyramidalibus vendi possit. Sac-charum crudum pro diuersa depuratione, quam sustinuit in Indiis, vel plus vel minus facchari albi largitur. Impuritates ad superiora ten-dentes auferuntur in modulis superficie operculo ex limo griseo tecta. Optimum crudum § adeo facchari albi probi erogat. Quo clarius hoc crudum est, quo albidius siccarius duriusque, eo purius cen-sendum; carere et debet sapore empyreumatico vel acido. Quo-modo in officinis Europaeis vterius depuretur s. vt vocant, refi-netur, non attinet hic prolixius commemorare, optime hac ure perfuncto illustri DV HAMEL DE MONCEAV b). Assentior ta-men lubenter ill. BERGMANO c) facchari refinementem multum adhuc perfectionis admittere, chemia faciem praeferente. Noua so-lutione, coctione, additione calcis, sanguinis vel albuminis ou-rum, et despumatione haec depuratio fit, multique gradus fac- chari

b) *Art. du rafiner le Sucre 1764.*

c) *Anledning til Föreläfningar öfver Chemien. §. 83.*

chari sic depurati existunt, vnde nomina eius, quod conicis formis induruit, deinceps ulterius exsiccatum fuit, varia, *Cassonade*, *Melis*, *Refinade*, *Canariense s. finissimum*, aliquique gradus et nomina. Species proximo loco dicta albissima, durissima, sonora, copiam scintillarum ad chalybem excitat. Distingui et potest saccharum in *pyramide*, de quo nouissime fermo, *farinaceum*, instar farinae contrectandum, et *tabulatum*, quod crustae instar aheni latera obducit. Sub omnibus hisce diuersis processibus defluit copia *syrupi* per apertos modulos, qui ipse non minus gradu puritatis multipliciter differt, vnde et nomina varia. Impurus iste brunus *Molasse* dici solet. Ex isto, qui in Indiis defluit, aqua cocto praeuia fermentatione spiritus ardens, *Rum s. Taffia* dictus, destillatur. Vilior est sapore iste spiritus, qui ex spuma ablata paratur. Purissimus syrupus Germanis *Syrupus candi* dicitur. Si syrupus vel saccharum aqua solutum coquitur, donec spissescat, deinceps in vas terreum defusum per vnam vel plures hebdomades loco calido retinetur, vel crusta vas obducit ex crystallis maioribus conflata, vel, si bacilli sive fila suspenduntur, haecce iisdem circumuestit; haec origo *Sacchari candi*, quod pro diuerso depurationis sacchari gradu, et *brunum* et *album*, habemus, et belliorum varia forma.

Non locus hic est, multis rationem reddere encheires eos multiplicis, quam saccharum subit, antequam album obtineatur. Coctio prima accelerari debet, ob succi expressi nimium in acom rem nisum, quem tantum dixi esse, vt vix moram nycthemeri perfandi possit (§. 4.). Sine calce vel alcali addito, cum quo superfluum acidum iungitur, nunquam in solidam compagem redigi posset.

Vtrum huic stirpi, an potius ARVNDINI BAMBOS L. d) veterum *Mel cannae s. arundinaceum*, vel, vt et dictum, *Sal Indum*, ad-

conf. Tabaxir *Garciae ab Horto in aromat. et simplic. Ind. Historia p. 46.*

adscribendum, dictu difficile est. Describitur ab ipsis vel instar mellis fluidum vel magis siccae consistentiae, ad internodia ex medullari substantia per fissuras erumpens, tandem concrescens. Certe concretum nostrum faccharum eos latuit. Huic in locum creberrime melle vni sunt.

Sequantur iam duae *arbores*, faccharinae materiae matres, calidissimis regionibus pariter propriae:

2. **BORASSVS FLABELLIFORMIS**; frondibus palmatis cunctatis, stipitibus serratis LINN. *Syst. veg.* p. 827. Palma coccifera folio plicatili flabelliformi, mas; femina RAI<sup>I</sup> *Hist. plant.* T. 2. p. 1366. Lontarus domestica, Palma vinaria prima siue Iagarifera, Lontar. RVMPH. *Hist. Amb.* T. I. pag. 45. *Tab.* 10. Palma Indiae.

Ex hac incidendo racemum elicetur succus, qui si faccharo destinetur, excipitur olla intus calce oblita, dein coquitur in faccharum rubrum, qui vel in panes vel baculos exsiccatur. Iauanis frequenti in usu.

3. **COCVS NUCIFERA**; inermis frondibus pinnatis, foliolis replicatis, ensiformibus LINN. *Syst. veg.* p. 827. Palma indica nucifera BAVH. *Hist. T. I.* p. 375. Calappa RVMPH. *Herb. amb.* T. I. p. 1. 2. *Tab.* 1. 2. Palma Indica.

Ob nucem clarissima, nec non ob spiritum vini *Arrac*, qui ex succo per racemum incisum exundante paratur. Ex eodem succo, olla pauxillo calcis oblita excepto, syrpus crassior vel mel excoquitur, qui apud tales gentes Indostaniae usurpatur, apud quas arundo faccharifera non obvia est.

Ea

Ea vero numinis benignitas est, vt, cuiuslibet regionis felicitati prospiciens, quod boni alicubi deficiat, id alio simili beneficio resarciat. Sic et, vbi climatis vel soli defectu arundo faccharifera deest, substituit alias stirpes dulci succo foetas. Harum e genere variae sunt *arbores Americae septentrionalis*, etiam *aliae apud nos obviae*, quae verno tempore, antequam folia emiserint, perforatae, copiam grate dulcis lymphae fundunt. Maxime inter hasce claruit

4. ACER SACCHARINVM; foliis quinquepartito - palmatis acuminato - dentatis, subtus pubescentibus LINN. *Syst. veget.* p. 766. EIVSD. *Spec. pl.* p. 1496. Conf. DU ROI *Harbesche wilde Baumzucht.* Vol. I. p. 14 sq. KALM'S *kärtta Berättelse om Norr-amer.* Växter p. 3. Anglis Sugar-Maple, Sugar-tree; Gallis Erable à Sucre. Florum huius vera ratio adhucdum botanicos latet. Arbor crescens in Canada et Pensyluania abundanter.

Verno tempore scatet succo et tanto copiosius, quo plus nimis per hiemem ceciderit, et quo dirius frigus praecesserit. Hinc tunc temporis caesim vel terebrando in lignum usque arbor vulneratur, plagae canalis submittitur, per quem in vicinum vas defluit, aliquando per tres hebdomades. Coquitur dein succus in amplio aheno sub continua agitatione et despumatione eosque, donec cochleari, quo circumagit, obstaculum sistatur et ille grumescere incipiat; refrigerio facto faccharum concrevit. Succus huius canthari quatuor ad octo subinde per diem promanant, et sedecim nonnunquam etiam quinque eius canthari libram unam facchari praestantis erogant.

Bruni coloris est, referens faccharum Moscouade supra descriptum, funditur et nonnunquam in placentas crassitie duarum

manuum transuersarum, vel in maiores massas aliasque formas pro diuersa magnitudine et figura vasorum, in quibus concrescit redigitur. Atque hoc faccharum non solum ab Americanis barbaris, sed et a vulgo in coloniis Anglicanis pro cibo potuque et ad fructus varios condiegos adhibetur. Syrupi quoque eius usus fit e). Sed faccharinum succum vehere, non huic vni Aceris speciei datum est, sed et plerisque aliis. Sequantur igitur

5. *Acer rubrum*; foliis quinquelobis subtus glaucis pedunculis simplicissimis aggregatis LINN. Syst. veg. p. 766. DV ROI Harbk. Baumz. T. 1. p. 16. sqq. KALM'S Berätt. om N. Americ. Växt. p. 4. et EIVS Resa til N. America T. 2. p. 288. Icon: MILLER'S Figures of Plants Tab. 8. fig. 2. CATESBY nat. Hist. of Carolina Tab. 62. Arbor crescens per totam Americam septentrionalem abunde, ubi multiplex eius in oeconomia commodum.

Succus promanans aquosior longe praecedente est, unde maior eius pro faccharo confiendo iactura. Saccharum quoque obscurius et nigricans, attamen copiose apud Americanos preparatur. Conf. nota subiecta.

6. *ACER PSEUDO - PLATANVS*; foliis quinquelobis inaequaliter serratis, floribus racemosis LINN. Syst. veg. p. 766. Acer montanum candidum c. b. Cfr. DV ROI Harbk. Baumz. Vol. 1. p. 4. Icon: CRAMER'S Anleit. zum Forstwesen Tab. 6. Arbor, in Heluetia et Germania hinc inde reperiunda.

Verno

e) Conf. ill. KALM. in Kgl. Vetensk. Acad. Handl. 1751. p. 147. Arbitror hanc ipsam speciem sub nomine Erable blanc ou Erable mâle intellectissime clam GAVTIER in Mem. pref. à l'ac. des sc. de Paris T. 2. p. 378. ubi ample artem ex hoc et sequenti Acere faccharum parandi descripsit.

Verno tempore post terebrationem succus dulcis effluit, qui inspissatus dictos aemulatur. Vide quae de hoc **LISTERVS**<sup>f)</sup> et **GRÜNERVS**<sup>g)</sup> memoriae prodidere.

7. **ACER PLATANOIDES**; foliis quinquelobis acuminatis acute dentatis glabris floribus corymbosis LINN. *Syst. veg.* p. 766. Acer montanum tenuissimis et acutissimis foliis c. b. Conf. **DV ROI** *Harbk. Baumz.* p. 12. *Icon: MILLER'S Figures of plants Tab. 8. fig. 1.* Arbor Europae borealis. In nostra vicinia montem Plebs occupat.

Ad hanc praecise refero quae cl. **DALMAN**<sup>h)</sup> de saccharo in Suecia ex Aceribus parato tradidit, nam Acer Pseudoplatanus ibidem non crescit. Ex Platanoidis autem arboribus octo, quarum quaelibet triginta annis non inferior fuit, intra quatriuum uno experimento viginti cantharos succi elicuit, qui inspissatus libras duas cum dimidia sacchari bruni exhibuit saporis non ingratii.

**ACER CAMPESTRE** L. f. Acer camp. et minus c. b. succum fere saccharinum dulciorem largiri lego i).

8. **IVGLANS ALBA**; foliis septenis lanceolatis ferratis, impari sessili LINN. *Syst. veg.* p. 717. Conf. **KALM** in *K. Vet. Acad. Handl.* 1769. p. 119. *sqq.* Ad hanc speciem etiam retulit b. A LINNE illam, quae Hickery-nut Anglis in America dicitur. Sed KALMIVS nouissime in *K. Vet. Acad. Handl.* 1778. p. 263. *sq.* demonstrauit, pro specie diuersa habendam, cui quidem varietates tres tribuit, forsitan ideo vnicce, quod in America Hickery

C 2

nomen

f) in *Phil. Trans. abridg.* T. 2. p. 686.

g) in *Fränk. Samml.* T. 4. p. 36.

h) *Kongl. Vet. Acad. Handl.* 1754. p. 232.

i) **GRÜNER** in *Fränk. Samml.* aus d. *Naturl. Arzn.* T. 4. p. 40.

nomen singulis hisce tribus arboribus tribuatur. Evidem modo ad veram Hickery transfero synonymon: *Iuglans alba* fructu ouato compresso, cortice squamoso **G R O N O V.** *Virg.* p. 150, quae arbor in horto bot. Gottingensi nuperime maturos fructus tulit, quorum nucem, exuto tegmine externo molliori, lacunoso-cristatam et acuminatam inueni, quibus notis arbitror veram Hickery tutissime discerni posse. Arbor in America septentrionali oeconomico vario vsu celebrata.

Hic autem memoranda vnice ob succum album, spissiusculum, vere ex plagis caesis promanante. In Canada et Albania coquitur inde saccharum, quod dulcius fertur isto ex Acere saccharino. Ob parciorem eius prouentum tamen illi pro hoc fine cedit. k)

9. **BETVLA NIGRA;** foliis rhombeo-ouatis acuminatis duplicato-serratis **L I N N.** *Syst. veg.* p. 708. **D V R O I** *Harbk. Baumz.* T. I. p. 93. Sugar-Birch, Black-Birch Anglis. Arbor Virginiae, Canadae.

Ex hac etiam in America septentrionali saccharum paratur, quod tamen amaricantis saporis est l).

Item ex **BETVLAE ALBAE** L. succo euaporatio ad spissitudinem syrupi sal dulce obtinetur, ad Mannam accedens m).

10. **GLEDITSIA TRIACANTHOS;** caule spinis triplicibus axillaribus **L I N N.** *Syst. veget.* p. 771. *Gleditsia spinosa* **D U H A M E L** *Arbr. Tom. I.* p. 265. *Tab. 105. Hort. Engl.* *Tab. 21. Honey-Locust.* Anglis. Arbor Virginica.

Le-

k) KALM in *Vet. Acad. Handl.* 1778. p. 272.

l) KALM l. c. 1751. p. 145.

m) MARCGRAF in *Mem. de l'ac. d. sc. de Berlin* 1747. p. 89. Conf. MODEL chym. *Nebenst.* p. 230.

Legumina longa, ensiformia, plana, pulpam vehunt melteam, quae a quibusdam hydromellis inde parandi caufa coquuntur. <sup>n)</sup>

Transeo ab arboribus, quae largiorem copiam saccharinae materiae variis gentibus suppeditant, ad stirpes herbaceas eo fine clariores :

**11. ALOES** cuiusdam americanae, Brasiliensibus Caraguata, Mexicanis Magues seu Metl dictae meminit MARCGRAFIUS <sup>o)</sup> peregrinator, ex cuius furculis ad latera prodeuntibus Nouae Hispaniae incolae succum exprimunt et coquendo saccharum parant. Vinum quoque et acetum hic succus ibidem suppeditat. Est sine dubio AGAVE AMERICANA LINN.

**12. ASCLEPIAS SYRIACA**; foliis ovalibus subtus tomentosis, caule simplicissimo umbellis nutantibus LINN. *Syst. veg. p. 213. β exaltata.* Perennis Virginiae, vulgare hodie hortorum ornamentum et florum odore placens, sed luxuriando molestum.

Mitto hic serici speciem, seminum apicibus adhaerentem, quae mixta alia materie textis commoda est, vnde la Soyeuse Gallis; nec non filamentosam caulum compagem, filis textisque inde parandis pariter idoneam. Nam huius praeципue loci flores sunt, ex quibus rore madidis mane succus exprimitur, etiamsi ex venenata familia stirps sit, qui succus praeuia coctione saccharum brunum grati saporis et salutare erogat. *p)*

C 3

13.

<sup>n)</sup> KALM in *K. Vet. Acad. Handl.* 1751. p. 146. LAWSON's *nat. Hist. of Carolina.* p. 97.

<sup>o)</sup> *Hist. nat. Brasil.*, Lib. I. cap. 18. p. 38.

<sup>p)</sup> KALMS *Resa til Norra America* p. 260.

13. ZEA MAYS; LINN. *Syst. veg.* p. 702. Frumentum indicum Mays dictum cb. Annuum Americae gramen.

Non grana vnicē huius farinacea magni in alimentum hominum et brutorum momenti sunt, sed et succus culmis inditus sacchari materiem continet, quod quidem Americani septentrionales subinde in usum trahunt. q)

Verum nec maxime boreales gentes suas cupedias deficere, duo subsequentia exempla docent:

14. HERACLEVM SPHONDYLIUM; foliolis pinnatifidis laeuisibus floribus uniformibus LINN. *Syst. veg.* p. 233. Sphondylium vulgare hirsutum c. b. Icon: RIVIN. *Pent.* T. 4. Pi. perennis vulgaris in pratis praecipue.

A Kamschadalensibus petioli foliorum radicalium, postquam cortex eorum derasus fuerit, in fasciculos colligantur, qui flacci di facti per tecta distribuuntur, ut saccharum farinaceum exsudet, conquassatione et allisione ad corpus durum facile separandum. Quadraginta librae petiolorum, quartam circiter librae partem sacchari subministrant. Spiritum gratum eadem materies huic genti impertit. r)

15. FVCVS SACCHARINVS; fronde subsimplici ensiformi, stirpe tereti breuissima LINN. *Syst. veg.* p. 815. Fucus longissimo latissimo crassoque folio CB. *Prodr.* p. 154. Alga saccharifera BORRICHII in THOM. BARTHOL. *Act. med. Vol. I.* p. 119. *Vol. 4.* p. 165. Icon: Fl. Dan. *Tab. 416.* GMEL. *Hift.*

q) KALM *Vet. Ac. Handl.* 1751. p. 146.

r) V. GMELIN *Fl. Sibir.* Tom. I. p. 214. sq. •HAPPE *Voyage en Sibirie par KRASCHENNIKOW* T. 2. p. 364.

*Hist. nat. p. 194. Tab. 27. 28. Alga in oceano septentrionali  
lapidibus plerumque adhaerens.*

In Islandia praecipue in pretio est, vbi maris fluctibus in terram proicitur, vel dedita opera antea colligitur. Pabulum constituit pecoris, et acetarii instar in mensas quoque transfertur. Saccharum tamen nominatim eam memorabilem facit, quod sponte granulosa forma exsudat, dum folia solis calori exponuntur. Macerantur ista etiam aqua, iterumque siccata in tonnulas ligneas collocantur, nec prius in usum culinarem trahuntur, donec per totam superficiem saccharum eruperit. <sup>s)</sup>

Hae hucusque enumeratae *planta*e praecipuae sunt, quae materiem sacchari conficiendi serio suggesserunt. Sed multae *aliae* sunt, quae illam comprehendunt. Ex radicibus **BETAE RVBRAE** item **BETAE CICLAE** vel **SII SISARI** tam ope spiritus vini rectificatissimi, quam sola succi expressione, depuratione, coctione, saccharum verum euocari se patitur, et tam larga quantitate, ut secundum primam encheires in libra dimidia exsiccatarum radicum Betae Ciclæ vnciam dimidiæ, Sisari drachmas tres, et Betae rubrae drachmas duas et dimidiæ sacchari eroget <sup>t).</sup> Syrupi quidem speciem multipliciter utilem, elicere datur ex **DAVCI** radicibus <sup>u)</sup> sed in sacchari duritiem hucusque coadunari non potuit. — Pauxillum modo veri sacchari inest **PASTINACAE** radicibus. — **FRVCTVS** sunt varii, quorum siccatorum superficiem sponte farina dulcis obducit, quorsum **CARICAE**, **PASSVLAE**, **PRVNA DAMASCENA**, **IVIVBAE**, **SILIQVA DVL CIS**,

**DA-**

<sup>s)</sup> **BORRICH.** l. c. Cfr. et **BIORNE PAVLI** *Obss. circa plantas quas-dam maris Island.* et speciatim algam sacchariferam *Hafn.* 1749.

<sup>t)</sup> **MARCGRAF** in *Mem. de l'ac. R. des Sc. de Berlin* 1747. p. 79. sqq.

<sup>u)</sup> V. compendii causa ill. **MURRAY** *Appar. med. T. I.* p. 209.

**DACTYLLI.** Rob BACCARVM IVNIPERI etiam si absque saccharo paratum in sacchari moleculas grumescit — **MANNA** ex Orni aliarumque arborum foliis sub coelo calido exsudat. — Dulcedo praeterea inest notabilis radicibus APII DULCIS f. Celleri, LIQVIRITIAE, DULCAMARAE, POLYPODII, TRITICI REPENTIS, RAPIS item PULPAE CASSIAE, BRASSICAE, GVMMI ARABICO, CERASORVM rel. Sunt et FLORES, in quibus tanta copia liquidi NECTAREI fecernitur, vt guttatum destillet, exemplo FRITILLARiae CORONAE IMPERIALIS, MELIANTHORVM. Liquor nominatim ex floribus AGAVES AMERICANAe collectus verum faccharum continere obseruatum  $x)$  Imo in nectariis florum BALSAMINAE IMPATIENTIS tam simplicium quam compositorum in durum perlucidum faccharum, granulum referens, iste indurescit  $y)$ .

Non vero existimandum, ex omnibus dulcibus vna eademque encheiresi faccharum verum parari posse. Pro natura enim et proportione admistarum partium processus variet, necesse est. Non successit res, vt dixi, in daucis, nec dupli specie radicis graminis.  $z)$  Memorabile etiam est, glycyrrhizae radicem difficile fermentationem subire  $a)$ , ad quam alias dulcia prona sunt.

$x)$  MARCGRAF in *Mem. de l'ac. d. sc. de Berlin Tom. cit. p. 89.*

$y)$  ODHELIUS in *K. Vet. Ac. Handl. 1774. p. 359.*

$z)$  MARCGRAF *l. c.*

$a)$  V, cel. PRAESID. *Appar. med. T. 2. p. 375.*

## SECTIO SECUNDA.

*Dulcium virtutes medicæ.*

## §. XII.

**I**nde iam *disparitas* elucet *dulcium*, nisi alia criteria, sapor, consistentia, chemica analysis, eam significant. Dulcedini subinde mucilago, vel oleum crassius, gummi, resina, item multum aquae vel terrae admistum est. Vnde aliquando effectus redundant, quorum ratio non a solo principio saccharino petenda. Non omnino igitur idem est, vtrum saccharo lactis, melle, caricis, an saccharo ex arundine saccharifera, vtaris. Quoniam tamen sapor dulcis in hisce per omnem reliquam miscelam dominatur, et acidum sacchari oleumque, quae in dulcibus primaria sunt, exceptis forsitan corporibus quibusdam mineralibus, vbiuis adsunt: non possunt non horum omnium vires quaedam communes esse, quas iam pendere meum est. Plerasque ideo vires generales assequutus est PAVLVS AEGINETA b), dum dulce, ait, laxat, soluit, digerit, mollit, ac denique rarefacit. Quid peculiare hoc vel illud dulce habeat, ex natura admixtae partis, siue sit mucilaginosa, siue oleosa, aquosa etc. eiusdemque proportione, facile constabit.

## §. XIII.

Iam vero *saccharum commune* praesertim tanquam exemplum in medium producam, ad quod reliquorum dulcium vires exigantur. Id quod tanto iustius eligere me posse arbitror, quum vulgare

b) *De arte medendi Lib. 7. cap. 1.*

gare constitutat ciborum et potulentorum condimentum, et basin quasi tot belliorum, confectionum rel., et tot medicamentis conferuationis, virtutis, item gratiae, causa addatur.

### §. XIV.

In frequentissimo autem isto facchari usu, qui post determinat Americanam inualuit, non desuerunt tamen viri docti et inclyti, qui tam argumentis speciosis, quam experientia nocuum eius naturam demonstrare annisi sunt. Horum ex numero commemoro HELMONTIVM <sup>e)</sup>, RAIUM <sup>d)</sup>, DOLAEVUM <sup>e)</sup>, LEONARDVM DE CAPVA <sup>f)</sup>, auctorem quendam anonymum <sup>g)</sup>. Plurima *argumenta* eo redeunt, calce, qua prae paretur faccharum, illi vitium quoddam adspergi, et faccharum ipsum in sua miscela acidum acre comprehendere. Magis a sana ratione alienum est, nocere spirituosa materie, quae praeuia fermentatione euoluitur. Quod ad calcis additae ignominiam attinet, non licet a nocuis vaporibus istis, quos parietes recens constructi vel dealbati spargunt, vel ab iniuria calcis viuae sine vlo velamento ingestae, concludere ad simile detrimentum calcis extinctae vel debite obuelatae. Serior calcis contra calculum vrinarium et aquae calcis contra idem et alia mala frequentissimus usus fatis superque docent, timorem, olim de calce in corpus nostrum, quomodounque intrante, conceptum, fuisse vanum. Iam vero calx ad praeparationem facchari adhibita abripit modo iusto abundantius acidum et cum hoc vel fundum petit vel spumae inhae-

ret,

<sup>e)</sup> *Ortus med.* p. 463.

<sup>d)</sup> *Hist. pl. T. 2. p. 1279.*

<sup>e)</sup> *Encyclop. med. theor. pract. p. 271.*

<sup>f)</sup> *Ragionamenti sopra incertezza delle medicina p. 500.*

<sup>g)</sup> in *Raccolta d'Opuscoli scientifici et filologici T. 6. p. 441. sqq.*

ret, consequenter nullo modo etiamsi in se noxia esset, nocere potest. Quodsi igitur vera frusta calcarea in faccharo offendantur, haec modo casu fortuito accesserunt, vel arte male docta. Acidum vero facchari, quod accusant tanquam vehemens acre et erodens, non nisi quando purum et suis compedibus solutum habetur, huius indolis est. Quam difficile vero sit illud a reliqua miscela segregare, supra satis indicatum est. Vnde apparet illi euoluendo non sufficere primarum viarum vires. Afferere autem veille, quod vsu facchari sanguis nimium commoueatur et incalescat, ideoque officiat in febribus, generari inflammationes ventriculi etc., ideo quod fermentatione spiritum eroget, vt sustinuit auctor anonymous *h*), ridiculum fere est, vtpote quum neque ad eum gradum intra corpus nostrum fieri possit fermentatio, nec ea vasa illi competant, quae pro spiritu vini destillando requiruntur.

Nec magis pro facchari effectu, ob eius acidum noxio, militant *experimenta* quaedam cum animalibus instituta. Respicitur hic ad illa cl. *REDI i*), quibus constitit, lumbricos, scolopendras marinas, sanguisugas, faccharo vel conspersas vel in aquam faccharatam immersas, intra breue temporis spatium necari. Imo maiora animalia, ranae aliquot per faccharum inspersum, et columba et duae anates per intrusum eius frustum ab anonymo dicto occisa feruntur *k*). Sed quam diuersa vermium dictorum natura a nostra; et quod ad reliqua dicta animalia spectat: experimenta tam parca cum hisce capta sunt, vt hactenus facchari laudi nec detrahant aliquid nec addant.

*h) Racolta d'Opusculi scientifici l. c. p. 459.*

*i) De animalc. viu. in corpor. animal. viu. p. 166. sqq.*

*k) Racolta l. c. p. 467.*

## §. XV.

Nolo tamen haecce ita intelligi, acsi nullum omnino *abusui* facchari locum admitterem. Prout enim omne nimium, vel salutaris quaevis res intempestive capta, in vitium vertitur: ita et facchari et dulcium quorumuis largior iusto copia, vel sub mala corporis diathesi usus, officit. Nimia quantitate ingesta, fermentatione in primis viis orta, quae efficax flatuum mater est, et acore suo omnino molestias afferunt. Hic etiamsi non in acido puro facchari, sed inuoluto ad partem reliquis partibus constitutius, consistat, sensu tamen ingrato, ructibus acidis, dentium adeo stuporem inducentibus, eneruando bilis in chylo praeparando vim et sanguinem ipsum per acorem deprauando, grauat. Causant igitur a faccharinis infantes, virgines chloroticae, seminae hystericae et quicunque rachitide vel malo hypochondriaco laborant, in quibus ipsis malis acidum iam antea dominatur, et faccharinis nouum pabulum adsciscit. Nec negauerim, nigrorem istum dentium, quem, qui faccharum nimis in deliciis habent, experiuntur, acido huic ad partem imputandum esse, quod tanto magis deprauare dentes potest, si substantia eorum vitrea, comminuendo inter dentes durum faccharum, vel calidis ingestis, rimas agit vel confringitur. Soluendi sua efficacia, qua tot in morbis prodest, nocet quoque audius captum. In gelatinosam partem sanguinis hanc ipsam sepe praecipue exferere videtur, saltim si experimentis cum carne varia, cui faccharum inspersum, fidelium, sub quibus scilicet disfluxit serum in notabile ponderis carnis residue iacturam, adeo ut sicca inde et dura euaserit *D*). Eousque haec resolutio humorum ex abusu facchari aliquando processit, ut ipsa nutritio turbata et emaciatio corporis successerit. Poterit tamen tabis huius culpa ad partem in facchari relaxandi insigni vi quaeri, quae nimietate et tonum ventriculi et pulmo-

num

1) Raccolta l. c. p. 471. sqq.

num et reliqui corporis vitiose labefactat. Hinc et apparet, debilitatem istam, quam potus calidi usitati Theae et Coffeae pariunt, haud parum a relaxante vi sacchari dependere.

### §. XVI.

Nocendi vero potestatem sacchari, etiam si largius consumti, a corporum praeprimis habitu et natura deriuandam, exempla docent hominum quorundam, qui, licet *indulgentes liberiori usui sacchari*, ad grandaeuam tamen eamque vegetam senectutem peruerunt. **COSTERVS** *m)* iurisconsultus Bataeus bene olim meritus, tantum facchari absque ullo incommodo consumxit, ut quinque vel sex aliis hominibus sufficeret, nihilominus tamen ultra nonagesimum annum vixit, senio demum confectus. **DUX BEAUFORTII** libram fere sacchari quois die per quadraginta circiter annos ingessit, mortuus denique septuagenarius, sine ulla vel viscerum vel dentium labe *n)*. **FRIDERICVS HOFFMANNVS**, lumen istud Germaniae medicorum sui temporis, prout multis scriptorum suorum locis, quantum faueret saccharo, declarauit, ita per vitam suam longaeuam fertur saccharum mirifice in deliciis habuisse, ita ut omnes fere cibos saccharo conspergeret omniaque vina caeterosque potus eodem edulcaret. Addendi sunt hisce ex ill. **TRILERI**, *o)*, qui huius rei meminit, auctoritate **BERGERVS**, Profesor medicinae Wittebergensis, et **LEYSERVS** iurisconsultus. Notum quoque satis heic loci est, quantum etiam post fata venerabilis senex, **GEORGIVS GOTTLLOB RICHTER**, primum istud ordinis medici in hac academia decus, dulcibus indulserit, sub

D 3

quo-

*m) VAN SWIETEN Comment. Tom. 5. p. 586.*

*n) SLARE'S Vindication of Sugar.*

*o) Thesaur. medicam. Tom. I. p. 264.*

quorum usu tamen copioso aetatem 79 annorum attigit, molesta quidem stranguria per plures annos sed ex alia causa detentus.

### §. XVII.

Experimentis extra corpus humanum institutis constat, faccharum oleosa cum aquosis coadunare. Idem beneficium praefat cibis pinguoribus ingestis; hinc optimo consilio placentis pinguoribus iusto inspergitur liberalius, sine quo additamento ventriculum longe magis labefactarent malaque varia concirent. Nutriendi facultas, quae faccharo a quibusdam tribuitur *p.*, dubito an ad illud depuratum, quo utimur, transferri possit. In India quidem mancipiis reliquias, quae a secunda facchari succi ebullitione remansere, in victimum cedere noui, et porcos quoque a crassioribus facchari foecibus pinguescere, sed hisce reiectaneis multum adhuc nutritiae materiae insidet, quod ulteriori depuratione consumitur. Prout vero in mensis quorundam condimentorum acrimoniam mitigat, quod constat e. g. in armoracia vel sennapi fieri: ita et acres humorum stimulos inuoluit, et vel *diaeticō* usu morbis variis hoc vitio enascentibus, obuiam it. Si hisce additur, quantum lenocinium palato afferat, cibis potulentisque adiectum, vel arte pistorum dulciariorum subactum et mixtum, quantumque valeat ad integratatem tot fructuum, succorum rel. seruandam: quilibet fatebitur, etiamsi nullius in morbis virtutis ratione habita, faccharum pretiosissimis naturae donis esse annumerandum.

### §. XVIII.

Sed iam et agite, quid in multiplici *morborum* genere praefat, consideremus. Multos egregios dulcium effectus vel unice

*p.) FR. HOFFMANN Diff. sacchari historia p. 20, 21.*

ce *saponaceae* eorum siue resoluendi insigni *efficacie* debemus. Haec ipsa, saccharum si lacti admiscetur, eius coagulum impedit. Paullo ante eius in sero dissoluendo vim descripsi (§. 15). In *acutis* igitur et nominatim *inflammatoriis* febribus tenacem vel stagnantem in minimis vasis sanguinem attenuat et liquat; quo fine saccharum in substantia vel robis, syrapi, trochiscorum, variaque alia forma, pulueribus, mixturis, ptisanis, admiscemus. Frequentior solet mellis in febribus dictis usus esse, nisi vel sapor eius displiceat, vel illud, ut in quibusdam fit, statibus siue colico dolore molestum sit. Dulcia vero tanto magis febribus ob acorem, quem secum vehunt, accommodata sunt, quo ipso temperant.

Eadem vi dulcia pituitam in *tussi* et *asthmate* vias aëreas gravantem attenuant et ad screatus disponunt.

Oleosas partes soluendo haud parum ad obesitatem minuendam saccharum prodest q). Hac vi nominatim maciem ciere, sibi persuasit summus BOERHAAVIVS r).

## §. XIX.

Sed et concrementa duriora a dulcibus subigi sese patiuntur. Ad causas diminuendas et remouendas, ex quibus *calculus* et *podagra* proueniunt, saccharum nominatim LOBBIVS s) commendauit. Calculus aquae mellitae immissus bullas eiaculatur, mollescit et ponderis iacturam patitur t), vt iam inde concludi possit, non spernendam esse in calculo soluendo medicinam. Ast et haud ita pridem innotuit

q) LOBB de *dissolu. calc.* p. 273.

r) Chem. T. 2. Proc. 38.

s) l. c.

t) LOBB l. c. p. 41. sq.

tuit ill. PRINGLE u) felix in ipsis hominibus, calculo vel fabulo afflictis, cum melle experientia, cuius quidem libram vnam cum quadrante quavis hebdomade sumi sub longa continuatione iussit. An acescente sua natura, an fermentescibili, quae aërem fixum euoluit, faccharum vel mel calculum subigit? Posterius suadet successus experimentorum PRIESTLEYI, PERCIVALII, HVLMII, aliorum, cum aqua aëre fixo impregnata, eidem malo opposita.

## §. XX.

In dictis pectoris morbis (§. 18.) non tamen negandum, relaxando simul dulcia prodeesse, quae vis tanta est, ut sub excessu valetudini iniuria inferatur. Hinc eorum abusus iam dudum inter causas phthiseos collocatus. Hinc et male prospiciunt aegris, qui tussi conuulsiva vel alia pertinaci dulcibus praecipue indulgent, quae protractiori vsu eadem debilitandi noxa, qua oleosa, mucilaginosa, infesta sunt.

## §. XXI.

*Abstergendi* facchari potentia in ulceribus internis, sese declarat eximia, nominatim in pulmonum ulceribus. Placuit in primis connubium eiusdem cum rosis in conserua, iam antiquitus ab AVICENNA et MESVE usurpatum, et serius commendatione FORESTI, RIVERII, CRÜGERI nobilitatum, et nouissime BVCHANIX), cui pondus accedit ill. MVRRAYI experientia. Vel sola ingeritur ad aliquot vncias quotidie vel et utiliter decoctis siue infusis pectoralibus loco facchari albi additur, vel vna cum

pti-

u) PERCIVAL'S *philos. med. et experim. Essays.* p. 232.

x) *Domestic Medicine, vers. germ.* p. 291. 298.

ptisana hordeacea potatur. Lacti quoque admiscetur eximio successu, si aluum laxat. Si rationibus insistimus, vix potest remedium aliud ullum phthisi ulcerosae esse accommodatius hoc ipso, quippe quod non solum egregie abstergit, sed, ut mox amplius tradetur, ad vulnerum consolidationem facit. Febrem praeterea temperat, nisum humorum ad putredinem ex absorpto pure refraenat, si labes vero pulmones speciatim occupat, screatum leuando iuuat. Ne vero nimium relaxet, praecauet rosarum additamentum, quod insuper debilitati pulmonum subuenit. Glorierur argumentis tam egregie experientiam respondere. C R Ü G E R V S supra nominatus ipse se, ex mesenterii apostemate hecticum, conseruae huius ope in viuis seruauit y).

### §. XXII.

Verbo vnice nouissime libandum dedi, saccharum esse *antisepticum*: sed praestantissimae huic et reliquorum dulcium virtutis est diutius immorari.

Fauent huic bene multa experimenta extra corpus humanum capta z). Memorat iam 10. IOACH. BECHERVS horum aliquot, nempe integras refrendes (vt eius voce vtar) saccharo sub coctione eius intinctas et quasi in momento extractas, ita penetrari saccharo, vt nunquam amplius putrescerent, et carnem ceruinam saccharo ita condiri, vt summa aestate putredini resistat. — Ita caro vitulina et alia vice cor veruecinum, puluere facchari conspersum, cum insigni ponderis decremento immune a putredine man-

y) *V. Att. nat. curios. Dec. 2. Ann. 4. Obs. 9.*

z) *Phys. subterr. Lib. 1. Sect. 4. cap. 1. p. 143.*

mansit et exsiccatum. a) — Eadem immunitas contigit vitello  
oui, solutioni sacchari immisso, in qua miscela fermentationis plu-  
ra signa sese manifestarunt. b) Sanguis recens, in eandem so-  
lutionem translatus, ne exacto quidem septimo die notas putredini-  
nis exhibuit c). — Quod vero ill. PRINGLE d) obseruat, exi-  
guam quantitatem sacchari carni bubulae admixtam non sufficere  
arcendae putredini, fermentatione autem orta illam iterum vinci,  
confirmat auctor anonymous libri gallici eximii de putredine. e)  
Ratio hisce redditur, cur Babylonii, teste HERODOTO, cadauera  
fua humana melle sepelierint.

Indos, quibus copia sacchari suppetit, nunquam scorbuto  
laborare, scite iam notauit BECHERV. f) Similem causam  
agnoscit PRINGLE, quod lepra e. g. ista Arabum, scorbutus pu-  
tridus, dysenteria, febres putridae hodie rarius incident, quam  
olim, vbi cibis carneis, praecipue salitis, vescebantur. Hinc et  
suadet sagacissimus MACBRIDE g), ut pro itineribus maritimis ad  
scorbutum arcendum nautis quotidie tantillum sacchari exhibeat. Qui perpendit, quantum valeant vegetabilia recentia, decoctum  
malti, brassica sponte acescens, ad arcendum et superandum scor-  
butum, et recentissimas curationes eximias in morbis putridis ope  
aëris fixi factas, et a cl. WARREN, DOBSON, HEY, PERCI-  
VAL, ROTHERAM, PRIESTLEY, aliis, memoriae proditas  
apud animum reputat, subtilissimo isti liquido acidulo, quod sub fer-  
mentatione sacchari euoluitur, vim eius antiputredinosam adscribet.

### §. XXIII.

a) ANON. in *Racolta d'opuscoli scient.* T. 6. p. 471. sqq.

b) MESNY in cl. TARGIONI *Racolta di Opuscoli medico-pratici Vol.*  
3. p. 32.

c) loc. cit. p. 36.

d) *Diseases of the army App.* p. XL.

e) *Essay pour servir à l'histoire de la Putrefaction* p. 98.

f) l. c. *App.* item p. 334.

g) *Experimental Essays* p. 181.

## §. XXIII.

Vulgò creditur, ex vsu sacchari diathesin generandis et fo-  
uendis *vermibus* aptam apud infantes fieri, vnde a parentibus ad-  
moneri solent, vt ab eo abstineant. Sed alia docet experientia.  
Iterum duplēcēm istum tutissimum omnis virtutis in scientia medica  
fontem cito, experientiam extra corpus humanum factam, dein  
alterum in homine ipso. Prioris census sunt experimenta *h)* cum  
lumbricis capta, qui ipsi saccharo in puluerem redacto conspergi  
paucis momentis periere, aquae autem faccharatae immersi intra  
vnam vel duas horas viuere desierunt, item in melle hispanico aqua  
diluto intra tertiam horae partem interierunt: quum contra ea in  
decocto Absynthii 20, 24 ad 30 horas, in solutione autem Aloës  
24 horas vitam protraherent. Egregie respondet huic experimento  
obseruatio *i)* de puerō, qui confectione faccharata abundanter in-  
gesta copiam vermium per aluum deiecit. Saccharum rosatum  
eandem efficacitatem in multis, qui lumbricis laborarunt, praestit  
*k).* Comoda igitur maxime est miscela mellis vel sacchari  
cum reliquis vermium hostili cohorti vel necandae vel expellendae  
dicatis remediis, tanto magis apud infantes probanda, quum  
dulcia in deliciis habeant.

## §. XXIV.

Trutinandae iam sunt vires, quas in *vitiis externis* sac-  
charo debemus et quae respiciunt vel ad eius abstergendi, et con-  
solidandi, vel ad discutiendi, item leuiter stimulandi, potentiam.

E 2

In

*h) REDI in Obss. circa animalia viuentia in animal. viuent. p. 156. 159.  
165. 166.*

*i) ANDRY generation des vers. p. 164.*

*k) ZAPATA in secret. med. chir. a SPLEISSIO edit. p. 155. Non crederem,  
miscelam ex argento viuo, saccharo rosato etc, quam paullo post auctor  
tantopere contra vermes commendat, in vniuersum fuisse intellectam.*

In *fissuris papillarum mammarum*, molesto isto lactantium vi-  
tio, res vulgaris est, faccharum Candi inspergere. Eidem fini  
inseruit, faccharum ad flammarum candelae fusum, et in cella ad de-  
liquum redactum, applicare *l).* — In *aphthis* dulcia quaevis pe-  
nicillo affricta, vel linctus siue collutionis instar adhibita, eximie  
conducunt, ad easdem separandas, mundandas, consolidandas. —  
Vtile abstergens est, in *aurium foetido profluvio* mucoso subpuru-  
lento aquam faccharatam syringa iniicere. Fistulosis quoque ulce-  
ribus faccharum thomaeum (rubeum vocat **SPIGELIUS**) subue-  
nit *m)*. --- Hic iterum virium cognatio egregia inter faccharum  
et mel animaduertitur; quod proxime dictum digerendi et abstergendi  
ulcera scopo multis modis in cataplasmate, vnguentis, et  
contra aphthas et fistulas praecipue in melle rosarum, applicatur.

### §. XXV.

Haud spernenda facchari candi laus in delendis cicatriculis  
vel *maculis cornea*e; quo fine per calatum scriptorium paruis porti-  
unculis oculo inflatur. Eo maculam in sinistro oculo post variolas su-  
perstitem sublatam testatur vir fide dignus, **F.R. HOFFMANNVS n).**  
Non arbitror commode faccharum referri inter ea remedia posse,  
quae mechanica vnicet vi, hoc est per aspredinem partium, prout  
crystalli montanae siue ossiuin Sepiae puluis, maculam absumerent,  
quae vis irritando sana oculi vicina saepe nocet, et plerumque, ob-  
staculum lucis non tollit, quum opacitati cornea subiectae discu-  
tienda non par sit. Stimulus a duris et asperis facchari candi  
particulis non nimius esse potest, quum a confluente lympha ocu-  
lorum paullo post illud deliquescat. Aliquem tamen assumo eum-  
que salutarem, cui soluens facchari efficacia ad opacitatem cornea

*l) LANGE miscell. verit. med. p. 24.*

*m) CVMANVS in WELSCH. Obff. med. p. 185.*

*n) Diff. facchari historia p. 39.*

dissipandam egregie obsecundat. Eatenus non improbo eorum morem, qui puluerem quendam terreum cum saccharo in hunc finem commiscent. — Discutiendi hacce efficacia coryzae infantum sacchari puluis naribus inflatus medetur. — Aufert et aliquando carnem ulcerum fungosam illi inspersus.

*Saccharum rarius sollicitandi aluum scopo clysmatibus, quam mel, additur, quod si vero fit, thomaeum ad vnam vel alteram vnciam eligitur. Non carere stimulo in hunc finem, globuli faccharini pro suppositorio demonstrant.*

*Carbonibus autem carentibus inspersum saccharum aërem depurat, et in coryza discutienda vaporibus receptum subinde sufficit.*

### §. XXVI.

Amplae igitur dignitatis faccharum esse in morbis tam praecaudendis quam curandis, quis negabit! Ast et ideo medico haud parum adiumenti affert, quod multa medicamina, quorum sapor displicet, *gratiora reddat, alia subigat*, vt miscelam cum humoribus nostris tanto certius ineant, nec in intestinis alicubi stagnando incommoda pariant, aliis, quae valde exigua dosi magnam vim exferunt, commodum *excipiens* praebent; quae diuersa commodity adhuc supereft, vt exemplis demonstrem.

Iucunde curare, si id quidem fieri possit, ad medici officia omnino referto: sed caueat, ne palato dulcibus seruiendo medicinam sua efficacia defraudet, vel fibrarum iustum robur relaxante eorum vi perfundet, id quod sacchari vel syrporum iusto liberiori additamento facile fit. Caueat, ne iure ignominiam contrahat, Galenicis medicis a Chemicis olim illatam, qui posteriores priori loco dictos Syrupiastros vocarunt.

Ialappae puluis tritura sollerti cum saccharo opus habet, ut resinofae partes iuste subigantur, quod nisi fiat, molesta saepe tormenta subsequuntur.<sup>10</sup> Item Camphora, quae sola in puluerem redigi nequit, tritura adiuuante saccharo obsequitur. Viterius mellis vis soluendi corpora quaedam non facile alias subigenda experimentis explorata est. Constitit tamen hoc, in soluendis resinosis, haud parum mucilaginofis cedere. o) Mercurii vero viui connubium cum melle crudo successit, licet paullo aegrius, dum et syrupi sacchari et mellis despumati vnionem inire detrectaret. p)

Indigemus quoque saepe in medicamentis heroicis additamento quodam, ea vnicie de causa, ut in exiguum valde dosin redigi possint, pro qua definienda nec vulgaria pondera nec vulgaris partitionis modus sufficit. In siccis ideo vel absorbens quodam vel faccharum eligimus. Ita ad  $\frac{1}{2}$  vel  $\frac{1}{10}$  vel minorem quantitatem granum vnicum opii, tartari emeticci rel. partiri valemus, sic ut vna dosis alteri omnino pondere par sit. Quodsi vero et paullo maior quantitas, grani integri, duorum, trium, rel. pro dosi subministranda: ea tamen de causa eiusmodi additamento opus est, ut ne ob exiguum pondus iactura fiat medicamenti, cuius efficaciam desideramus: exemplo florum Zinci, Vitrioli martis, Ipecacuanhae parua dosi exhibenda.

### §. XXVII.

Quod reliquum est, nemo spero, a me exspectabit, ut numerosissimam præparatorum ex saccharo cohortem et composita

o) V. cel. BUCHHOLZ experimenta in *Nou. Act. nat. curios.* T. 5. p. 46. sqq. narrata, quorum enumeratio legitur in cel. MVRRAY med. præf. Bibl. Vol. 1. P. 3. p. 341. sqq.

p) PLENCK's Art das Quecksilber in der Lufseuche zu geben.

quaevis, quae faccharum vel gratiae vel virtutis vel conseruationis causa ingrediatur, Conseruas scilicet, Rotulas, Trochiscos, Bacillos, Confectiones, Condita, Morsulos, Species, Rob, Syrupos, etc. designem, quippe quum hac in re Dispensatoria pharmaceutica cuiusuis desiderio facile respondeant. Utius longe negotium obirem, si quaedam horum specialius necessariis *stricturis* persequerer. Sed hasce addere tam angustia temporis, qua prae-stringor, vetat, quam nimia prolixitas, in quam inciderem, si huic rei pro dignitate satisfacere conarer.

N. Cunctis pidiuntur non solum tota natura  
AV. Clavigera ex officio dispensatoriis  
Re nescit  
nisi hinc iurisperiorum officiorum superius  
MIL. Talius  
in sumptuoso  
III.  
gegen  
libet haec modum certe mutari, utrum intermissi  
XI.  
autem in iudicio suorum se quis  
XXX. omnibus iurisperiorum non oportet emulatio  
X.  
cunctis officiis  
XV. utrumque iurisperiorum etiam  
autem in aliorum in iudicio, nullus est iurisperiorum  
autem iurisperiorum non in iurisperiorum iudicio, nullus est  
libet haec, tamen in eorum ut non rite iurisperiorum  
LIX.  
autem in iurisperiorum iurisperiorum

THE-

## *Theses annexae.*

- I. *Male diabetes pro vitio unice remum habetur.*
- II. *Mel non ex solo florum succo nectareo colligitur.*
- III. *Calculus urinarius constat ex acido sacchari et glutine.*
- IV. *Non quiuis calculus urinarius eodem lithontriptico subigi fese patitur.*
- V. *Calculus biliaris tota natura ab urinario differt.*
- VI. *Cirsoceles ex vitio epididymidis vel testiculi origo valde dubia est.*
- VII. *Fallax plerumque conclusio ex experimentis apud bruta captis ad hominem.*
- VIII. *Item conclusio de effectu remedii in sano homine ad aegrum.*
- IX. *Litterarum manu scriptarum ratio multum facit ad iudicium de animi dotibus ferendum.*
- X. *Rabiei caninae tutissima curatio in vulnerum diuturno profluvio continetur.*
- XI. *Vana est ambitio in detegendis nouis medicamentis, nisi contra mala haec tenus rebellia, nobilis et fructuosa in iam detectorum viribus moderandis augendis et ad nouos usus transferendis.*
- XII. *Ligna medica non ex trunco vel ramis, sed ex radice arborum vel fruticum, petenda.*











